

(Tit. X. c. 1. De exorcizandis obsessis a daemonio) continetur atque, ut e toto ejus tenore liquet, unice refertur ad expellendos daemones e personis quas obsederint : unde nonnisi improprie exorcismi vocantur orationes et pii ritus qui quandoque adhibentur contra daemonem ut ccesset nocere hominibus vel pecoribus in quodam loco (1). Qua ratione et prudentia exorcismi adhibendi sint sapienter in Ritoali describitur. Hic breviter quaedam tantum attingemus praesertim de illius formulae usu. Nempe :

1º Nulla exstat lex universalis quae prohibeat sacerdotes quominus exorcismos, juxta Ritualis regulas, instituant. Sed certe fas est episcopis decernere ne ullus sacerdos, etiam regularis, id agat, vel publice vel privatim, absque expressa Ordinarii licentia, ut liquet e Const. Bened. XIV *Magno cum animi* § 34. (2 jun. 1751) Talem autem prohibitionem episcopi permulti tulere (Aichner, Comp. Juris. eccl. § 117) : quae, cum res sit magni momenti, sub gravi obligat.

2º Etsi, ob evidencia SS. Evangeliorum testimonia, universe daemoniacas obsessiones seu possessiones meritis illusionibus tribuere non licet, tamen certum est eas minus crebro contingere quam antiquiores AA. aestimabant. Perfectior enim morborum, eorum praesertim qui in nervis sedem habent, cognitio ostendit causis mere naturalibus adscribenda esse multa miranda phaenomena quae perperam daemoni tribuebantur. Sapienter jam Rit. Rom. (l, c.) monebat ne facile crederetur aliquem a daemone obsessum esse, neve morbus naturalis pro possessione haberetur ; enumeratis autem obsessionis signis, ex. gr. ignota lingua loqui pluribus verbis, distantia et occulta patefacere, innuit haec minime esse apodictica, siquidem addit : "Quae, cum plurima concurrunt, majora sunt indicia." Idem quoque inculcant plures Theologi, dum signa possessionis certa vel dubia fuse explicant. Vides Thyraeum : De obsessis a spiritibus daemoniorum hominibus cc. 22 seqq. (2)

3º Si quando casus dubius occurreret, expediret in subsidium adhibere aliquem medicum peritum et probe catholicum, qui non rejiceret ipsius possessionis possibilatem, sed prudenter investigaret num haec quae

(1) Cfr. in Appendice Ritualis Exorcismum in Satanam et Angelos apostolicos, jussu Leonis XIII editum et ab eodem Pontifice indulgentiis ditatum in gratiam Episcoporum et Sacerdotum ab Ordinariis suis legitime ad id auctoritatem habentium, qui illum devote recitaverint.

(2) Rituale Romanum, ut e toto exorcismorum tenore patet, perinde ac veteres Theologi (Thyraeus, op. cit. c. 2) *obsessionem* eodem sensu ac *possessionem* adhibet, nempe ad designandam condicionem hominis qui non tantum a daemone vexetur, sed in quo praeterea daemon sit intime praesens, tamquam motor in mobili. Quidam recentes, ex. gr. Surbled (*La vie psycho-sensible*, c. 7), per obsessos intellegunt eos qui molestias etiam exteriores a daemone patiuntur, quamvis daemon in iis sedem non posuerit, ut contigit S. Antonio.

cernerentur mira phaenomena ab aliquo noto morbo provenirent, praesertim ab hysteria vel daemonomania. Horum morborum singulares effectus vides apud D. von Olfers. (Pastoralmedicin, p. 130 seqq.) Etiam ubi effectus prima fronte supernaturales apparent, ut lingua ignota loqui, occulta detegere, valde cavendum a fraude vel illusione. Cfr. dicta de Hypnotismo n. 273. Verum quidem est ad licite exercendos exorcismos, saltem cum episcopi licentia, sufficere probabilitatem de possessione. Sed quominus cum mera probabilitate procedatur, saepe obstabit tum scandalum quod hodie facilius enasci solet ob impiorum irisiones, tum ipsius exorcizandi salus, cui exorcizatio, praesertim cerebrior, plurimum nocere poterit si reapse morbo tantum naturali laborat.

CAPUT III.

DE VOTO.

§ I. DE VOTI NATURA ET DIVISIONE.

310. DEFINITIO. Votum est promissio deliberate facta Deo de bono possibili et meliori. Videlicet :

1º Ad votum non sufficit nudum propositum voluntatis, sed "tria ex necessitate requiruntur : primo quidem deliberatio ; secundo, propositum voluntatis ; tertio, promissio in qua perficitur ratio voti" (2. 2. q. 88. a. 1) Habetur ergo, quoad ista, paritas cum promissione quae homini fiat ; discrimen autem est quod ad promittendum homini requiruntur exteriora signa, ad promittendum Deo, qui intuetur cor, sufficit interior cogitatio.

Hinc liquet perperam a quibusdam existimari votum a se elicium esse, cum rem aliquam bonam facere proposuerint vel etiam verbum "promitto" usurpaverint. Non sunt enim censendi verum votum eliciuisse nisi intenderint se novo vinculo erga Deum ita obligare ut illud sine speciali peccato frangere jam non possent. (Lehmk. I. n. 429)

2º Votum est actus latriae, eo quod ea quae voventur in divinum cultum ordinantur. Hinc si quando (ut fit) vota dicuntur fieri Sanctis, sensus est ea voveri Deo in honorem simul Sanctorum, sicut templo et altaria aedificamus Deo in eorumdem honorem. (S. Alph. n. 194) Si quis (quod

raro fiet) intenderet alicui Sancto, propter ejus honorem, promissionem facere, id non foret votum, sed actus quidam duliae. (Ball. P. n. 1)

3^o Quomodo votum necessario esse debeat de re possibili et meliori, explicabitur n. 315 seqq.

311. DIVISIO. Votum dividitur praecipue :

1^o In *absolutum* et *condicionatum*. Prius habetur quando simpliciter promissio quaedam fit Deo; posterius, quando additur condicio ea mente ut obligatio non exsurgat, nisi illa impleta fuerit, ex. gr. "voveo eleemosynam, si sanitati restituar." Ad condicionatum refertur quod dicitur *poenale* eo quod assumitur obligatio tamquam poena delicti committendi, ex. gr. "voveo dare eleemosynam quoties blasphemavero."

2^o In *simplex* et *sollemne*. Sollemnia non sunt nisi quae emittuntur in sacra ordinatione et in professione religiosa facta in Ordinibus vere Regularibus. De intrinseco discrimine hujus divisionis dicetur Vol. II. n. 84.

3^o In *reale* et *personale*. Prius habetur quando promittitur aliqua res externa pretio aestimabilis, puta eleemosyna; posterius, quando promittitur tantum actio quaedam hominis, vel cessatio ab actione, puta peregrinatio vel abstinentia a ludo. Quodsi in eodem voto conjungitur promissio rei externae et actionis personalis, id dicitur *mixtum*, ex. gr. si quis promittit se peregrinationem instituturum in sanctuarium B. M. V. et ibi decem candelas oblaturum esse.

§ 2. DE DELIBERATIONE ET INTENTIONE VOVENTIS.

312. I. Ad votum valide emitendum requiritur **deliberatio plena et perfecta** qua quis velit se ad rem aliquam obligare. Ubi enim deest actus perfecte humanus, nequit esse promissio, praesertim qua homo erga Deum obstringatur. Idem saepe alia ratione exprimitur: scil. ad vovendum sufficere eam deliberationem quae sufficiat ad mortaliter peccandum. Attamen, ut scite advertit Ball. P. (n. 7.), id verum quidem est eo sensu quod usus rationis, qui sufficit ad peccatum mortale, sufficit etiam ut quis possit valide vovere; non autem eo altero sensu quod ad validitatem voti *cujusvis* sufficit ea deliberatio, quae sufficiat ad grave peccatum. Nam ad graviter peccandum satis est confuse nosse gravitatem reatus quo me obstringo; ad obligationem vero assumendam oportet ut, praeter notionem obligationis, menti obversentur illae circumstantiae quae ad prudentem deliberationem circa onus assumendum considerandae sunt. Cfr. (n. 310) quae de triplici voti elemento e S. Thoma dicta sunt. Hinc :

1^o Abstrahendo a Jure positivo, nulla determinata aetas ad valorem voti requiritur, dummodo vovens usu rationis gaudeat.

2^o Vota emissa cum semi-plena deliberatione sunt nulla. At in concretis adjunetis judicare num abfuerit plena deliberatio, res saepe ardua est. Merito id aestimari potest quando votum, de re praesertim gravissima vel perpetua, emissum est in motu quodam repentinio, statim vero postea, re melius considerata, poenitentia oritur. Plerumque tamen, in iis adjunctis, securitati et paci voventis proderit ad dispensationem recurrere.

313. II. Quando gravis adest **ratio dubitandi** num volum elicitum sit cum plena deliberatione, probabilius votum haberi potest ut invalidum. Ratio est quia, ubi probabile est non existisse verum votum, obligatio fit dubia: haec autem non est vera obligatio, sicut lex dubia non est vera lex. (Ball. P. n. 11; Gury, I. n. 322) Plerique tamen cum S. Alph. (n. 196) opinantur votum valere in quocunque dubio an adfuerit plena deliberatio: quia possessio est pro voto, cum praesumatur usus rationis, nisi constet oppositum. Sed fundamentum hujus sententiae rejecimus n. 76.

Notandum tamen plerumque, ubi constat de facto voti emissi, non fore sufficientem rationem ut cum probabilitate de perfecta deliberatione dubitari queat: non solent enim metus, ira et similes passiones plenum usum rationis impedire. Caute igitur talem excusationem a voto implendo admittere debet confessarius; si tamen, examine instituto, circumstan- tiae vere gravem dubitandi rationem suppeditarent, vovens non esset absolute obligandus.

Minime requiritur ut vota eliciantur sub attentione actuali; sed prorsus sufficit intentio virtualiter permanens, ex. gr. in eo qui vota religiosa nuncupaturus ad altare accedit et distractus formulam pronuntiat.

314. III. Votum factum in metu, non incusso ad hoc ipsum ut votum extorqueatur, ex. gr. in metu naufragii, validum est, nisi metus plenum usum rationis abstulerit: nulla enim appetit ratio nullitatis. Idem dic si metus juste incussus est. (n. 29)

Ubi vero metus injuste incultitur ad votum extorquendum, istud invalidum est, sive metus ille gravis sit, ut plerique opinantur, sive etiam metus in se levis reapse tamen sola ratio vovendi fuerit, ut tenent Bus. ap. S. Alph. n. 197 et Ball. P. n. 15. Eadem ratio pro utroque metu affiri potest: Deo acceptum esse nequit quod per injuriam ab homine extorquetur, sicut nullus homo justus promissionem acceptaret quam sciret per injuriam extortam esse. In foro tamen externo, metus in se levis non admitteretur fuisse causa voti eliciti, puta in professione reli-

giosa : quare sententia supradicta restringitur ad forum conscientiae, in quo praesumptio cedit veritati.

IV. Error vel ignorantia, etiam mere concomitans, reddit votum regulariter invalidum, quando versatur circa substantiam materiae promissae, ut si quis voveret ecclesiae dare calicem, quem putat argenteum, cum sit aureus; — vel circa condicionem substantialem, seu talem, ut hac cognita, vovens noluisset vovere, ex. gr. si quis voveret se ingressurum monasterium, ubi putaret religiosam disciplinam et essentialia religionis servari accurate, et tamen non ita esset; — vel circa causam finalem, ut si quis voveret peregrinationem pro salute patris, et is jam esset mortuus. Ratio generalis est quod hic deficit liber consensus, qui non fertur in incognitum, et nihil tam est contrarium consensui quam error. (Bus. ap. S. Alph. n. 198)

Exciptuntur tamen vota per quae assumitur status natura sua firmus et irrevocabilis, ut sunt vota quibus aliquis Ordini religioso aggregatur; haec enim irrita sunt tantum per errorem circa rei promissae substantiam. Nam, cum ejusmodi vota emittantur per modum contractus bilateralis, ipsa rei natura requirit ut voluntas consentiat omnino absolute et independenter ab aliis condicionibus praeter eas quae sunt de substantia ejusdem contractus, ut fit, propter eamdem rationem, in matrimonio contrahendo. Secus dubia manerent de pluribus professionibus, cum magno detimento religionis et voventis. Cfr. Lugo, de Just. et J. disp. 22. n. 88.

Manet votum validum, quamquam facilis in eo dispensari potest, si error versatur circa condicionem parvi momenti, puta si peregrinatio paulo longior est quam existimabatur, quia parum pro nihilo reputatur. Similiter dicendum si error est tantum circa causam impulsivam, ut si voves peregrinationem, existimans te habitum gratum socium, qui postea ire renuit: haec enim est tantum causa secundaria, qua seposita, actus est sufficienter voluntarius secundum substantiam, nisi quis ita dispositus esset ut numquam solum ire vovisset.

§ 3. DE MATERIA VOTI.

315. I. Materia voti debet esse possibilis, non tantum *physice*, ut per se liquet, sed et *moraliter*: nam ad moraliter impossibile obligatio dari nequit. (n. 83)! Jamvero moraliter impossibile censendum est quod, pro fragilitate humanae naturae, sine speciali prorsus divinae gratiae auxilio perfici nequit, quale auxilium temere speraretur sine ratione personali, puta majore virtute jam acquisita, vel generali, qualis est invitatio Christi ad statum perfectionis arripiendum. Hinc :

1º Invalidum est votum numquam peccandi venialiter : nam id nemini, sine speciali privilegio, esse possibile definit Trid. Sess. 6. can. 23. Probabilis tamen validum esset votum de vitandis peccatis venialibus *plene deliberatis*, sed tantum ubi emititur a personis in virtute valde exercitatis. Idem dicendum de voto vitandi certam quamdam speciem venialium, si excipias quasdam materias quas nemo prorsus vitare potest, quales sunt cogitationes in honestae vel otiosae. (S. Alph. n. 203; Ball. P. n. 30)

2º Votum vitandi omnia mortalia videtur valide emitte a quolibet. Plerumque tamen non expedit et, si factum fuit a persona fragili, sufficiens datur causa ad dispensandum.

3º Sine speciali instinctu S. Spiritus, invalidum videtur votum faciendi quidquid perfectius esse intellexeris. (Salmant. c. 1. tr. 17. n. 85)

4º Invalidum esset votum inhaerendi Deo iugis caritate actuali. "Quod ego, ait D'Annib. (III. n. 192. nota 5), devotam prope dementiam dixerim, cum hoc solis comprehensoribus datum sit (D. Th. 2. 2. q. 24. a. 8). " Idem merito de votis nimis arduis addit: " Haec vovere, regulariter temerarium; aliis suadere novum in Ecclesia, et periculosum est. "

316. II. Materia voti debet esse non tantum bona, sed melior quam ejus oppositum, sive ejus omissio. Nam, cum nullum opus Deo acceptum esse possit nisi sit virtuosum, clarum est de nulla re illicita vel prorsus indifferenti votum fieri posse. (2. 2. q. 88. a. 2) Immo, si objectum voti non esset melius quam id quod ei opponitur, vovens se obligaret ad omittendum melius bonum propter minus. Hoc autem nequit Deo placere, qui cupit ut homo semper faciat quod melius est. (Suar. tr. 6. l. 2. c. 7. n. 2) Clarum tamen est non sufficere ut objectum in abstracto consideretur, sed spectandas esse circumstantias personae, temporis, etc. Sic non esset de meliori bono quod materfamilias voveret peregrinationem quam instituere nequirt nisi liberorum cura neglecta. Hinc :

1º Invalidum est votum de re peccaminosa; immo hoc grave peccatum foret si vovens promitteret rem graviter malam, et probabilis, etiam leviter malam. Nam in utroque casu gravis contumelia inuritur Deo quasi Ipsi placeret peccatum. Attamen, ubi res tantum leviter mala est, plures AA. hujusmodi votum leve peccatum reputant: quod in praxi, ob ignorantiam excusantem, teneri potest. (S. Alph. n. 205) Sic nullum est votum jejunandi vel abstinenti a carnibus diebus Dominicis vel in festis anni praecipuis: id enim a praxi Ecclesiae alienum est et, si emititur ab eo qui ceteris diebus non jejunat, aliquam superstitionem redolet. (Reuter, Th. Mor. p. 2. n. 427)

2º Invalidum est votum de re quae, spectatis etiam adjunctis et fine operantis, maneat prorsus inutilis vel indifferens. Exemplum habes in

eo qui voveret deferre vestes hujus potius quam illius coloris, non trans-eundi per viam aliquam, etc. Attamen, si intentio voventis est pia et res ipsa, ex natura sua vel moribus receptis, conducere potest ad finem bonum attingendum, valebit votum. Exemplo sint qui vovent Romanum pergere ad limina Apostolorum invisenda, infantes vestire colore caeruleo in honorem B. M. V. etc. (Ball. P. n. 33)

3º Invalidum est votum cui adjungitur finis malus tenens se *ex parte rei votae*, ex. gr. si quis voveret eleemosynam ut ex illius distributione laudaretur, ad impetrandum felicem successum in furto vel in gratiarum actionem pro tali successu. Sic enim ipsa res promissa dirigeretur in malum finem: quod contumeliam Deo inferret, quasi peccata promoveret. Validum vero est votum cui adjungatur finis malus tenens se tantum *ex parte voventis*, ex. gr. si quis voveret eleemosynam ad Dei gloriam, sed simul intendens ut ex actu vovendi inanem gloriam caperet. Nam sic res quam vovet manet bona, licet ipse male et cum peccato voveat. (S. Alph. n. 206)

4º Quando voto adjungitur condicio mala, ex. gr. vovo eleemosynam si ex duello incolumis evasero, videndum est utrum, ex intentione agentis, opus pravum sit finis voti an simplex condicio. Si prius, ex. gr. votum referendo ad felicem duelli successum, invalidum est, ut patet ex supra dictis; si posterius, ex. gr. votum referendo ad incolumentem, quam, patrato duello, Deus largiatur, validum est: sic enim votum non cadit super rem malam, sed super bonam, nempe, patrato duello, evadere incolumem. (Bus. ap. S. Alph. l. c.)

5º Invalidum est et veniale peccatum vovere bonum quod est impedivit boni majoris: quia sic ponitur obex Spiritui S. qui est boni propositi inspirator. (2. 2. q. 89. a. 7. ad. 2) Hoc tamen intellegendum est de opere bono quod directe opponatur meliori, et mutationem in melius impedit, ut esset votum manendi in saeculo: nam vix est opus bonum quod non impedit opus excellentius, eo sensu quod simul fieri nequeat. Insuper valeret votum rei quae, licet in se et absolute minus bonum sit, in concretis tamen adjunctis pro vovente majus fore, ex. gr. non suscipere sacros Ordines, si cui susceptio videretur damnosa fore. (S. Alph. n. 207)

Hinc patet regulariter nullum esse votum matrimonii ineundi: siquidem ordinarie melior est caelibatus. Attamen validum foret votum nubendi alicui personae quae sine injuria aut gravi infamacione, puta liberos ex ea susceptos, deseriri non posset. Ubi vero votum de matrimoniali statu ineundo emitteretur ad finem imponendum multis peccatis, quae ex insita fragilitate et prava consuetudine orta sint, controvertitur inter AA. num hujusmodi votum valeat. Cfr. S. Alph. l. 4. n. 209; l. 6. n. 75. Quoad rem tamen et proxim satis concordare videntur AA. Nam fere omnes consentiunt voventem fore obligatum ad hoc remedium

matrimonii adhibendum, quatenus alio *perfectiore* uti nolit. Ideo dicendum cum Lessio (de Just. et J. l. 2. c. 40. n. 44) votum illud non valere absolute, sed tantum ex suppositione quod vovents nolit alia remedia adversus carnis tentationes adhibere. Si enim alia remedia adhibere velit, jam cessabit illius voti vinculum: quia jam voventi melius erit non ducere uxorem.

6º Valet' votum de re jam aliunde pracepta, quia est de re meliori libere praestanda, nec quidquam impedit quominus vinculo e pracepto oriundo aliud e virtute religionis addatur. (2. 2. q. 88. a. 2) Patet e voto religiosae castitatis, quod cadit etiam in materiam praceptam hujus virtutis.

§ 4. DE OBLIGATIONE VOTI.

317. I. Mensura obligationis e voto oriundae est rationabilis voluntas voventis.

Votum enim est quasi lex quam sibi vovents imponit: nam libere facit Deo illam promissionem, quam lex naturalis servandam praecipit. Sicut nullam obligationem assumere potest, ita non impeditur quominus, etiam in materia gravi, sub levi tantum se obliget: quod ut faciant plerique poenitentes, a confessario suadendum est. Sed manifeste opus est ut voluntas voventis rationabilis sit (n. 106): quare in materia levi nequit se sub gravi obligare, puta ad recitandum semel "Salve Regina" ad vitandum peccatum leve, etc.

Igitur si quis, dum votum emisit, determinavit utrum sub gravi an sub levi se obligare intenderet, huic determinationi standum erit, nisi quis erronee intendisset se obligare sub gravi ad rem omnino levem.

II. Quando vovents de quantitate obligationis determinanda non cogitavit, haec erit definienda e gravitate vel levitate materiae, cui se accommodasse censenda est ejus intentio.

Gravis autem censetur ea materia quae, ubi pracepto ecclesiastico imponitur, gravem obligationem inducit, ut Missae auditio, communio, rosarii recitatio; et a fortiori, quae majorem laborem imponit, ut sat longinqua peregrinatio; in votis autem realibus, plerumque censebitur gravis materia quae, si ex justitia debita foret, talis censeretur. (Lehmk. I. n. 446) Ceterum in dubio levis habeatur, si quidem non tanto rigore exigenda sunt gratuita promissa.

Aegre determinatur quandonam plures materiae leves in gravem coalescant. Imprimis sedulo investiganda est voventis intentio. Deinde notandum generatim non coalescere materias quae, ex intentione